Kazimirus dei gracia Rex Polonie et Magnus Dux Lithwanie Russie et [illegible] Significamus presentibus universis Quomodo attendentes inopiam et defectum
Civitatis nostre Wyeliczka quibus dietim per thabernas in Civitati nostre vicinas etiam in spacio unius medii et proximi miliaris in preiudicium
et gravamen dicte Civitatis nostre locatas destruuntur et depauperantur prout hoc ex exposicione dicte Civitatis Consulum querulose coram
Maiestate nostra prelatisque et Baronibus nostris deductum audivimus litterasque Serenissimorum principum olim dominorum Kazimiri et [illegible]
Genitoris nostrorum carissimorum celebris memorie predecessorum inhibitorias ne in spacio unius medii miliaris huiusmodi thaberne
in quibus Cerevisia braxaretur aut propinaretur in preiudicium dicte nostre Civitati locarentur et locate omnes destruerentur et deinceps
reedificari non admitterentur per nos tre Civitati et incolis eiusdem concessas coram Maiestate dictisque prelatis et Baronibus nostris exhibi
tas vidimus unde nos dictis litteris visis et auditis cognoscentes quod ipsas in destruccionem et annichilacionem ipsius nostre Civitati locatas ex consilio
dictorum prelatorum et baronum nostrorum et iuxta formam ipsorum nostrorum predecessorum decretum et voluntatem Innitendo litteris
et decreto prefato dictas thabernas omnes et singulas circumquaque ipsam Civitatem nostram Wyeliczka in spacio unius medii miliaris
ac proximi locatas et constructas perpetuavimus et decrevimus ac decernimus presentes esse funditus evellendas annichilandas et destruendas
deincepsque et imposterum fore non reedificandas neque construendas iuxta formam dictorum avorum predecessorum litterarum
continenciam et tenorem Quocirca tibi Magnifico Johanni de Czizow Castellano et Capitaneo nostro Cracoviensi aliisque nostris
Capitaneis pro tempore existentibus et presentibus requirendis Committimus et mandamus omnino habere volentes Quatenus huiusmodi omnes et
singulas thabernas circumquaque dictam Civitatem in spacio prefato iacentes et locatas nomine nostro ut et tamquam Capitaneus noster
iuxta presens nostrum decretum destruas funditus easque in ipsisque amplius et imposterum Cerevisiam braxare aut propinare non
admittas ymmo neque aliquem alium potum propinare aut vicecersa easdem reedificare permittas faciens hec exequi sine dilacionibus
quibuscumque Et ulterius inhibendo ut sub pena nostra regali et privacione omnium bonorum nullus in eisdem thabernis taliter
destructis amplius Cerevisiam vel alium potum braxet et propinet Ne autem de huiusmodi nostro decreto aliquis imposterum pretendat
ignoranciam se habere aliqualem publice diebus fori in ipsa Civitate Wyeliczka proclamare ministeriali facias ne amplius in
eisdem Cerevisia neque aliquis alius potus propinetur aut braxetur sub pena prefata Et ita et non aliud facias pro gracia nostra
harum quibus Sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum Datum in Pyotrkow feria secunda post festum Sancti
Bartholomei proxima Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Quadragesimo Septimo

Relacio Magnifici Petri de
Szczekocin [illegible] per vicecancellarium

Pro tabernis extra Civitatem in medio miliari
[illegible]

Scriptum iam
habetur scriptum
in donatio folio XV

Regis Casimiri

Privilegium super
Tabernas in medio
milliari 42 A. 1447

Tabernis

1447

~~8~~ 8.4

Numero 2do